



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

III. Past Clemens III. gestattest dem Domstift die priesterlichen
Sacramente von jedem katholischen Bischofe zu empfangen, am 11. Sept.
1189.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

Dat. Laterani, per manum fratris Moysis S. Rom. ecclesie subdiaconi vicem agentis Cancellarii, III. Kalend. Junii, Indictione sexta, incarnationis dominice Anno M^o. C^o. LXXXVIII^o. Pontificatus uero Domini Clementis pape tertii Anno primo.

III. Pappst Clemens III. gestattet dem Domstifte die priesterlichen Sacramente von jedem katholischen Bischöfe zu empfangen, am 11. Sept. 1189.

Clemens episcopus, seruus seruorum dei, Dilectis filiis Preposito et fratribus sancti Nicolai in Stendale — tam uestris quam dilecti filii nostri nobilis uiri Henrici Comitis, uestre ecclesie fundatoris, precibus inclinati presenti pagina uobis uestrisque successoribus duximus indulgendum ut si dioecesanus uester a uobis cum humilitate debita sub testimonio prudentum uirorum pluries requisitus, sacramenta ecclesiastica gratis uobis et sine difficultate ac prauitate aliqua non indulerit, a quocumque malueritis catholico episcopo gratiam apostolice sedis habente, ea uobis liceat postulare, qui nostra fretus auctoritate quod postulatur impendat. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. Datum Laterani, III. Id. Septembris, Pontificatus nostri anno Secundo.

IV. Pappst Clemens III. erteilt allen Bischöfen die Anweisung, auf Antrag des Domstifts diesem die priesterlichen Segnungen zu erteilen, am 11. Septbr. 1189.

Clemens episcopus, seruus seruorum dei, venerabilibus fratribus uniuersis Episcopis, ad quos litere iste peruenerint, Salutem, apostolicam benedictionem. Etsi uniuersarum ecclesiarum quieti teneamur sollicitè providere, de illarum tamen tranquillitate ac pace nos conuenit uigilantius cogitare, que nostri iuris existunt et ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertinere noscuntur. Inde est, quod cum dilectis filiis nostris Preposito et fratribus ecclesie sancti Nicolai de Stendale, que beati Petri iuris existit et ad nos specialiter pertinere dinoscitur, de apostolice sedis clementia sit indultum, ut si dioecesanus episcopus sub testimonio prudentum uirorum ab eis cum humilitate debita pluries requisitus sacramenta ecclesiastica gratis illis et absque difficultate et prauitate aliqua non indulerit, ea possint a quocumque maluerint catholico episcopo postulare, fraternitati uestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus sacramenta ipsa cum ab eisdem fratribus fueritis requisiti, dilationi et appellatione remota, libere de auctoritate apostolica impendatis. Datum Laterani, III. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno Secundo.

V. Pappst Clemens III. gestattet dem Domstifte die Seelsorge in seinen Patochien durch seine Mitglieder und Capelläne verrichten zu lassen, am 13. Sept. 1189.

Clemens episcopus, seruus seruorum dei, Dilectis filiis Preposito et fratribus sancti Nicolai in Stendale — tam uestris quam dilecti filii nobilis uiri henrici Comitis, uestre ecclesie fundatoris, precibus inclinati, presenti pagina uobis uestrisque successoribus duximus indulgendum, ut si dioecesanus episcopus sub honestarum testimonio personarum pluries humiliter requisitus personis idoneis a